


LAVDATIO FLORENTIÆ HABITA IN FVNERE ISABELLAE HISPANIARVM REGINAE,




A Ioanne Baptiſta Adrianio, in diui Laurentij Aedibus.

NONO KAL. DECEMB.
M. D. LXIIX.



FLORENTIÆ,
Apud Iuntas 1568.





LAVDATIO FLORENTIAE HABITA IN FVNERE ISABELLAE HISPANIARVM REGINAE.

A Ioanne Baptista Adrianio, in diui Laurentij Aedibus.

NONO KAL. DECEMB. M. D. LXIIX.



FLORENTIAE,
Apud Iunctas 1568.



N Umquam fore putassem Illustrissimi atq; Excellētiss. Principes, amplissimi Magistratus, nobiliss. Proceres, vt publicus hic luctus me tantopere commoueret, vt non solum graui dolore ipse afficerer, sed consilio, rationeq; huius officij, quod mihi publice est iniunctum, planè omni deturbarer: vt quid in tanta acerbitate faciendum, dicendumq; esset reperire vix possem. Subijt enim animum quantum ex interitu immaturo, atq; acerbissimo Isabellæ Hispaniarum reginæ, puellæ nobiliss. reip. Christianæ damni sit inuectum. memini enim non multis ab hinc annis illius coniugio finem grauissimis bellis, quæ plurimos annos omnē pene Europam diuexauerant, fuisse impositum: duosq; potentissimos reges, multas bellicosissimas nationes, regnaq; opulentissima; quæ antea infensissimis odijs inter se dimicauerant fuisse conciliata: putabamq; dum illa viueret, & Philippo regi marem sobolem procrearet, quæ regnis, regijsq; opibus succederet; fore vt nullum amplius a bellis nobis periculum immineret; & vt communes hostes, qui Christianam remp. exercent, & fœderatis; affinibusq; regibus infensi sunt, cōmuni consilio debellarentur. quod quamuis pro illorum sapiētia, & opibus nihilominus breui futurum esse mihi persuadeam: hic tamen casus me valde sollicitum habet non tam ipsis regibus, quàm communi omnium Christianorum saluti me

tuentem . illorum enim periculum multo maxima ex parte nostrum periculum est . quo fit vt communi causa vehementer perturber, doleamq́; sedulo tempore minime opportuno clarissimum , & salutare mortalibus humanissimæ Reginæ lumen esse extinctum, atq; id etiam vehementius: quod Illustriss. Principibus nostris arcta affinitate illa coniuncta erat : siquidem Caterina amplissima Gallorum Regina a Laurentio Medice Urbini duce procreata , & in præclarissima hac vrbe cuius pater principem locum obtinebat in lucem excepta,& hinc in Francisci Gallorum Regis familiam amplissimam nupta , & ad regiam dignitatem vna cum viro euecta illã primo fœminarum partu edidit ; cuius interitu nihil vnquam grauius, aut acerbius nostri illustrissimi Principes tulerunt . quod & re, & vultu, & lacrimis atq; hac lugubri specie significant . qui sensus, vt arbitror, est non solum omnium nostrum, qui his sacris interfumus, sed totius etiam humanissimæ ciuitatis . quo factum est vt sacra hac, quæ mortuis fieri consueuerunt lugubri hoc apparatu , & funebri pompa ex pio clarissimorum Principum instituto hodierna die magnifice celebrentur . quibus etiam nequid ad summam pietatem desit, laudationẽ a me addi voluerunt, puto vt regijs virtutibus, illiusq́; bonis referendis, & mortuæ memoria celebretur, & dolor, atq; ægritudo ob illius interitum animis nostris infixa molliatur. quorum alterum pro ea facultate, quæ nobis est , quamuis exigua illa sit, præstare nitemur, vt ex infinitis pene, quæ illam ornabant, aliquot referamus. alterum

terum

rerum vereor quomodo consequi possimus. si quidem in singulis referendis, cum nobiscum reputauerimus, quot, & quātis bonis orbati sumus, ingemiscamus necesse est. sed tamen, & operæprecium me facturū, & officio huic satis consultum fore existimabo, si id quod in hoc genere fieri consueuit præstitero. vestræ autem summæ sapientiæ Illustrissimi Principes erit videre, vt ea, quæ casus & natura ferant, humaniter feratis, putetisq; nihil esse in malis, quæ naturæ necessitate eueniunt, quod cum alijs mortalibus cōmune nō sit omnibus. Huius autem, quam instituimus, laudationis inde principium ducetur, unde illa, quæ laudatur, etiam originem duxit. Nam præterquam quod parentum bona optimo iure in filios redundant, vsu etiam fit plerunque vt filij, & natura, & institutione, & domestica disciplina parentum moribus factisq; respondeāt. ita enim iam, & qualis futura fuerit, & qualis extiterit facilius intelligemus. Parentes igitur illa habuit, in quibus si a fortuna, si a corpore; si ab animo spectes, nihil ad summam dignitatem desiderare possis. etenim Henricus Francisci regis Gallorum filius, & ipse etiam deinde rex fortissimus, atq; opulentissimus viuo patre, & mortuo nihil, quod amplissimam illam fortunam deceret, omisit. quippe, qui a prima pueritia præter cætera studia, quibus regum filij deditι esse consueuerunt arma tractare, equestria munera omnia obire summo cum labore ita assueuit, vt non solū illis egregie exerceretur, sed etiam æquales suos in eo genere omnes superaret, vt regiæ potestatis, si natura, & legibus non esset

di-

dignißimus hac vna virtute videretur. nihil est.n.quod principes viros,quibus populorũ salus cõmissa est,magis facere oporteat. tantũ autem in eo genere valuit, vt pro cedente ætate in grauißimis,periculosisq́ bellis versatus Francisco patri, atque adeo vniuerso regno ægregiam operam nauarit,& sibi summũ decus pararit. cuius deinde regis virtutem,consiliũ,& vires,& in rebus gerendis industriã omnes vehementer sunt admirati: & Britanni multis nominibus Gallico nomini infensi ita illum expauerunt, vt vix ad regiam dignitatem euecto cũ pri mũ in illos arma intentare cœpit, Bononia in Morinis munitißima vrbe cesserint, eamq́ illi restituerint. pro qua recuperanda Franciscus pater multũ, diuq́ labora uerat: belloq́ maritimo,& terrestri sæpe frustra conten derat: præclareq́ secum actum esse putauerint, si intra suos fines se continerent, & pace,& affinitate Gallorũ fruerentur. ipseq́ Carolus V. summus ille Imperator huius fortißimi iuuenis Regis opibus,armis, virtute, & consilio sensit tandem illã suam fortunam diu victricem hæsisse. multa præterea in eodẽ genere de fortißimo Rege referri possent: quæ ipsius gloriam cumularent: sed il lud,quod ad veram laudem pertinet in eodẽ non est omit tendũ, quod idem ipse rex quãuis summus esset bellator, & late imperium propagasset,cũ & regiæ dignitati, & nomini Gallico latißime satisfecisset, ostẽdissetq́ omnibus posse se,& scire gloriose bellare,& potentißimis hostibus esse parem a pace tamen & concordia animum nunquã habuit alienũ. itaq; cum Philippo Rege depositis odijs,

quæ

quæ multos annos illorum patres, cum maximo totius Europæ incommodo, vel potius calamitate exercuerant, pacem non magis ex suo, quàm ex populorũ, atq; adeo omniũ mortaliũ vsu confecit: filiamq; Isabellã clarissimo, atq; opulentissimo multarumq; nationũ, ac prouinciarũ Regi Philippo in matrimoniũ collocauit: Margaritãq; sororem lectissimam fœminam Allobrogũ duci fortissimo viro, redditis omnibus prouincijs atq; oppidis, quibus multos ante annos illius pater a Francisco Rege fuerat spoliatus. quibus nuptijs, affinitatibusq; omniũ Christianorum animi ex diuturna tristitia sunt exhilarati. sed ò rem miserabilem, atq; acerbã, in ipso nuptiarum, & cõmunis lætitiæ tempore ipse Henricus Rex infelicissimo casu occubuit, cuius interitu Regnum Gallorum opulentum, & pene antea inuictum intestinis Principũ virorum seditionibus tentari est cœptum, cuius calamitatis quando finis futurus sit, Deus ipse nouit. hoc quidẽ probe intelligimus Henrici virtutẽ omnes bonos semper esse desideraturos. ex tali igitur tantoq; parente Isabella Hispaniarum Regina iure laudatur. Non oportet puto referre me Gallorum Regum nobilitatem, atq; antiquitatem, nec res ab illorũ maioribus priscis temporibus pro Christiana Rep. pie fortiterq; gestas vnde nobilissimũ sibi omnium cognomen comparauerunt, vt Christianissimi appellarentur. illis. n. referendis dies non sufficiat. Illuc potius accedamus, quo rei institutæ ordo nos vocat, vt de Clarissima Regina Gallorum Caterina Medice matre aliqua dicamus. cuius si virtutes vitamq; pie & sapienter

ter, & summa cum laude peractam explicare velimus nullum finem reperiat hodie oratio. tot enim, tantaeq; illae sunt, atque adeo illustres, ut quemuis eloquentem, & quantauis copia verborum fluentem obruere poßint. nam vt omittamus quod non solum apud omnes nationes laudabile est, sed etiam gloriosum, quod ex Illustrisßima Medicum familia, quae & Florentiam vrbem praeclarißimam, vbi radices egit, & omnem Europã illustrat, originem ducit: & quod ex eadem familia duorum summorum Pontificum, qui Christianae Reip. summa cum dignitate, atque autoritate praefuerunt, neptis fuit, & quod Laurentium Medicem Urbini ducem, & copiarum imperio insignem suaeq; ciuitatis principem locum obtinentem patrem habuit: & quod fratrem Alexandrum Medicem Florentiae ciuitatis principem vidit: & quod consanguineos omnes suos eximijs honoribus, & dignitatibus amplißimis insignes, & postremo quod Cosmum Medicem sibi genere & paterno sanguine proximũ ad suae ciuitatis principatũ nobilißimorũ ciuium suffragijs, ciuitate tota consentiente, gaudenteq; meritißimo euectum, eũdemq; liberis, imperio, sapientia, opibus, gloria, victorijs florentem Ferdinandi Imperatoris filiã, Maximiliani Imperatoris sororẽ nurum sibi asciuisse, & in regni partẽ cum Francisco filio patre dignißimo collocasse: haec & vt alia multa omittãtur, quae ad summã laudẽ pertinent, atq; eo magis, quod haec non tã fortunae beneficio, quàm sapientißimorũ virorũ consilio obuenerunt: quanti tandẽ illud aestimandũ est, quod ipsa

Catherina

Catherina ætate adhuc pene puerili Henrico Aurelien siũ duci filio Regio in matrimoniũ collocata suis amabilissimis moribus non solũ virum, sed socerum etiã Regem amplissimũ ita sibi amore deuinxit, vt eã non secus, ac filiã dilexerit, oĩsq; regia domus, aulaq; omnis ob ægregias animi dotes illã coluerit, amarit, atq; admirata sit. qđ eo magis cognitũ est, cũ extincto maiore fratre in spem totius regni venit Henricus, ac tũ deinde maxime cũ in regiã dignitatem cũ illo vnà maximo oĩum Gallorũ studio excepta est: quanto.n. magis illã fortuna extulit, tanto illius mores, virtutesq; clariores, atq; amabiliores fuerunt. vix credibile est quanta cũ maiestate simul, & comitate illã personam gesserit, quantoq; auxilio fuerit iuueni Regi ad regnum constituendum, ad consiliũ capiẽdum, ad res maximas tractandas: vt cũ ille plerũq; longe a domo copias ductaret, regnumq; armis aut defenderet, aut latius propagaret, illa interea magnũ regni gubernandi pondus summa sapientia, & æquitate sustineret, vt ad regendos populos facta fuisse videretur. in qua fortuna cum maxima fœlicitate plurimos filios peperisset, multo magis illius virtus, et lumen eluxit, posteaquam acerbissimo fato viro extincto regni gubernaculũ nondum puberibus filijs subire coacta est. tunc.n. maximis coortis tempestatibus regnũ, & regẽ, & regiã maiestatem in maximis fluctibus seruauit incolumẽ, & a Britannis perpetuis Gallorũ hostibus defendit. cum.n. molestissime ferret illa natio paucis ante annis Iccio portu, Calesioq; oppido, vnde in Britanniã breuissimus est cursus, se a Gallis esse

B deie-

deiectam: quàm possessionem ducentos annos, aut eò plures obtinuerat, & aditu omni in Galliã, vnde bellũ facillime gerere consueuerat, esse exclusam, portum in eadẽ regione loco maxime opportuno Gallis intestinis seditionibus occupatis maxima classe improuiso inuasit, & omnibus opibus munire cœpit: periculumq; erat ne in male affecto corpore hæc res aliquid maiorum incõmodorum excitaret. coacto igitur magna celeritate exercitu Regina tantis copijs Britannorum præsidium oppugnare aggressa est, vt quãuis oĩbus viribus, & totius Britãnici regni conatu hostis adniteretur portum illũ defendere, tamen maxima cum clade inde reiectus quam primũ fugere, & in Britanniã classem reducere coactus sit. quod factũ prouinciã a maxima clade, et regnũ a grauissimo periculo liberauit. hæc atq; alia multa de eadẽ Regina commemorare possemus, quæ excellentẽ in omni genere virtutẽ illius aĩumq; virilẽ indicare possent. sed adeo illustria illa sunt, & in ore, et in oculis oĩum adhuc versantur, vt his referendis nõ oporteat me diutius immorari. præsertim cũ institutum nostrum non sit nunc eã suis laudibus celebrare, sed ab ea filiam nuper mortuã ornare. hoc tamen postremum addã illam ea fortuna, in qua est, fuisse dignissimã, nec magis illi Gallici regni maiestatẽ ornamẽto fuisse, quàm illa regno decori, ac præsidio fuerit. His igitur parentibus vndiq; præclarissimis Isabella in lucẽ data puerilibus annis sub matris, qualẽ diximus, disciplina ita educata, atq; instructa est, vt quæ discere regias filias æquum putant, oĩa optime redderet, atq; id tanto

studio,

ſtudio, atq; alacritate vt omnem diſciplinã præuerteret. miro.n.ingenio prædita erat, nec leuioribus ſtudijs, aut voluptatibus, quibus illa ætas præcipue ducitur, ãīum ap plicabat. ſed quæ ad Dei cultũ, quæ ad regiarum ædium procuratione pertinent, oĩa accuratiſsime meditabatur. quibus rebus eſt factum, vt non ſolum a parẽtibus miro quodã affectu diligeretur, ſed omnibus, qui in aula verſabantur, admirabilis, ac veneranda videretur. præſertim cum eius animi dotibus venuſtas etiã formæ, & dignitas quædã vere regia comitaretur. Scio hæc pleriſq; viſum iri cõia, præſertim in huiuſcemodi perſonis: quarũ virtutes oẽs pene laudibus efferre conſueuerunt. ſed qualia fuerint, quãq; eximia ex his, quæ deinde oẽs mortales perſpexerunt, facile exiſtimare poſſumus. Cum.n.mortuo Odoardo Anglorum Rege, cui pene infans a Rege patre ad ſancienda firmandaq; fœdera deſponſa fuerat, & ad ampliorẽ, honeſtioreq; fortunã vocaretur, vix credibile eſt quantopere venuſtate ſimul, & grauitate, ſeueritateq; non ingrata ſeſe extulerit, vt eam digniſsimã ſibi coniugẽ Philippus rex ampliſsimus, & opulẽtiſsimus fore exiſtimarit: cum qua ſuauiſsime viueret, & ex qua liberos ſuſciperet. quod ab Hiſpanis regibus hac memoria raro eſt factum. nec.n. Gallorum, & Hiſpanorum mores facile conglutinantur, nec Hiſpani Reges Gallicis matrimonijs multum ſtudent. quod tamẽ in hac virgine eſt factum, & ab eo Rege factum, qui cæteros oẽs Reges imperio dignitate, et opibus ſuperabat, vt hoc virtuti moribusq; lectiſsimæ puellæ regiæ ſit tribuendũ. atq; eo etiã

magis, quod id eo tempore est cõfirmatum: cum mortuo Henrico Gallorum opes pene concidisse videbantur. quo loco cũ esset, vix credibile est, quàm breui Regis mariti sibi beneuolentiã cõciliarit, atq; hoc nõ formæ lenocinijs, nõ artificio aliquo fœmineo, sed viri miro obsequio, morũ suauitate, pudicitia, cæteris virtutibus, quæ illam diuinã potius quàm humanã arguebant. nec .n. quod vulgo faciunt fortunatissimæ fœminæ, comptu, ornatuq; corporis, margaritarũq; copia, & æstimatione reliquas superare studebat. sed qđ illi fortuna dederat, Regina vt esset oĩum nobilissima propria virtute nitebatur, vt quantũ dignitate cæteras anteibat, tantum virtute oĩbus excelleret. quibus moribus est cõsequuta, vt eã vir maximope amaret, & cũ ea concordissime viueret, & in oĩbus illi obsequeretur, & in oĩbus illi placere studeret, & vnà vitam beatissimã cũ illa traduceret. quod bonum his etiã, qui sub eorum imperio viuebãt, cõe erat. ea .n. vt quæ apud virũ plurimum poterat, multa multis indulgebat, sibiq; præclarissimis officijs oĩum pene mortalium beneuolentiã cõciliabat. sed quod maximos fructus regnis illius matrimonio coniunctis, & vt verius dicam salutem afferebat, in illud omni conatu incumbebat, vt amicitiam arctius etiam, atq; etiam, & mutuam beneuolentiã inter virum, & fratrem Gallorum Regem confirmaret; atq; identidẽ augeret. qua re fiebat, vt cões hostes, qui cõmuni consilio vtrũq; Regem oppugnant, Christianamq; remp. sua ambitione dilacerant, & e Germania auxilia euocant, facilius arcerentur, bellumq; cõi duorum regum consilio gereretur.

retur.

reretur. quod ad salutem Gallici regni, & ad Regis ado lescentis, nec bene proprijs opibus comuniti quantum interesset, nõ facile dixerim. illa. n. eadē opa, & viro, & fratri pariter summa sapiētia qđ vtriq; honestissimum erat, & his tpibus maxime opportunū, seruiebat. qđ quidē bonū quantū, & quale fuerit vereor ne melius posterioribus tpibus atq; adeo breui cognoscamus: ne vt cū hic proximæ necessitudinis nodus pessimo oīum Christianorum fato solutus sit, eadē inter duo regna opulentissima, nationesq; feroces, illarumq; reges cōcordiā paulo post desideremus. quæ quidē Deus opt. max. pro populorum pietate, suaq; in Christianū gregē clementia in melius vertat. sed nos ad reliqua pgamus. cum igitur regia hæc virgo regio matrimonio, atq; eo quidē amplissimo copulata beatissime viueret, & mutuo viri amore, quantum fieri pōt, frueretur, oēsq; mortales, sed præcipue Hispanos Principes, qui alienigenas Reginas, & præsertim Gallici sanguinis non satis amare consueuerūt, suis suauissimis moribus, admirabiliq; comitate ad se colendum, amādumq; cōmouisset, vel potius coegisset, & iā duas filias peperisset, suaq; fœcūditate, qđ regiarū fœminarum maximum bonum esse putatur, & uirum regē, & eos, qui in illius regno viuunt optima spe implesset, fructusq; tertij partus summa oīum masculæ sobolis cupiditate expectaretur, ecce ò rē lacrimabilē, atq; oīum crudelissimā nōdū maturo fœtu ī ipsis partus nixibus īter nobilissimarū fœminarū manus vix vigesimo anno ætatis peracto morie obijt acerbissimā. Hic ego in tāta rerum acerbitate humanissi

mi

mi Principes, quid primum quærar? fatum ne? an naturam? an potius vtrumq;? & cōem simul calamitatē deplorē? ego equidē illius interitu referendo, ita mehercule animo sum pturbatus, vt quo modo orationi finē imponā, & solatij rонem aliquam inueniam, cogitare non possim. moueor quippe amplissimi Regis Philippi ægritudine, q charissimā, dulcissimamq; coniugē cum minime timebat extinctam audiuit, seq; vnà, & cōiuge suauissima, & spe martium liberorū, quod ex ea maxime cupiebat, orbatū sentit. moueor miseræ matris calamitate, quæ & filia, quam impense amabat, & potentissimi Regis affinitate tēpore minime opportuno sibi carendū esse intelligit. moueor & Caroli fratris Gallorum Regis luctu, quem sorore suauissima, & honestissima necessitudine, quā sibi ornamento, & præsidio fore putabat, priuatum video. moueor duplici duarum regiarum aularū calamitate, quas ob interitum præclarissimæ Reginæ deformatas, ac plane consternatas esse audio: moueor etiā amplissimi Principes dolore hoc vestro ingenti, quos consanguineā Reginā, quæ vestræ nobilitati maximo erat ornamento, mortua lugere cerno. sed illud præterea me vehementius afficit, quod hoc casu Christianæ reip: opes, quæ duorum potentissimorum Regum concordia atq; affinitate maxime nitebantur, labare intelligo. Isabella .n. viuens, quæ illius erat pietas, & sapientia, maritum Regē sui sanguinis sēper, & Gallicarum rerum studiosissimum præstasset, vt obliteratis penitus simultatibus, quæ longo tempore duas augustissimas familias distraxerant, & eorum regna cō

fecerant, totamq; pene Europam dilacerauerant, pax et concordia summa vtriusq; Regis voluntate perpetua seruaretur. ex qua Italia, & reliquæ prouinciæ, quæ in illorum sunt potestate, aut aliquo modo illis cohærent, diuturnæ tranquillitatis fructum maximum tulissent. quæ spes nunc ne nos frustretur, vehementer est metuendum: ex quo quantum malorum imminere possit Christianis populis, nemo, vt arbitror, est quin intelligat. merito igitur cum omnibus regnis suis mæret Philippus coniux. iure misera Gallorum Regina mater tanto bono orbata affligitur. & frater Gallorum Rex omnisq; eius aula non sine ratione luget. & vos etiam Illustrissimi Principes tanto damno accepto habetis vnde merito conqueramini. id. n. amissum est, quod nulla humana ratione reparari potest. illa tamen vna in tantis malis grauissimi mæroris leuatio esse debet: quod illa, quæ semper integerrime vixit, & pietatis, & pudicitiæ, cæterarumq; eximiarum virtutum, quæ præcipue regias fœminas ornare solent, exemplar fuit, altissimas illas sedes beatasq; nunc incolit, vnde humanam hanc vitam despicit. regiasq; opes, quas tantopere admiramur, & de quibus mortales inter se digladiare consueuerunt, præ illis æternis contemnit, gloriaturq; quod eo genere mortis præcipue elata sit: quod fœminas maxime beat. vt. n. principibus viris qui iuste, & fortiter suos populos rexerint, atq; illos defenderint, locus quidam eximius in cœlo tribuitur, sic etiam, & ipsæ mulieres, & illæ præcipue, quæ Reges populis daturæ erant, si in ipso partu animam profuderint in præcelsas

certas

certas sedes excipiuntur, vbi perpetuo æuo beatissime fruantur. vnde ex altissimo loco nunc Philippum coniugem spectat, matremq́ Reginam suo obitu consternatam, totamq́ domum regiam in squallore, & luctu iacentem. quorum quidem lacrimis non potest non commoueri: queriturq́ interdum eam fati fuisse necessitatem, vt prius quàm Regem mascula prole explesset, populisq́, quos maxime amabat, Reges iustissimos dedisset, sibi ab hac luce discedendum fuerit. sed tamen quòd necessitati hoc est summi Dei legibus parẽdum esse æquissimum iudicat, sui desiderio mœrentes solatur, & ne se diutius affligent rogat; & id, quod natura, & casus dant, æquissimo animo patiantur: se enim vitam beatissimam, & omnium malorum expertem viuere, & perpetuo victuram affirmat; & quod inter mortales præstabat, id multo melius nunc, & meliori quidem conditione inter diuos se præstaturam. Hæc quidem optimi Principes illa pollicetur. quare cum eius manibus pio hoc officio satisfeceritis, & satis luxeritis, dolori modum ponere æquum est: illiusq́ beatissimæ, & nunquam satis laudatæ memoria, bonisq́ mœrorem, desideriumq́ lenire.

FINIS.

